



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

12 Maji. 4 Idus Maji.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

S. Eudalde, in cælum assurgentis igneæ columnæ specie, vise à matre, postea undequaque mirabilis.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 320.

S. MARIA de Victoriâ, cujus hodie imago Roma, anno 1622, à Gregorio XV recepta est. Doce me vincere me in me; ut aternum triumphes in me, & de me!

12 Maji. 4 Idus Maji.

SANCTE Epiphani, qui in ipso tuo baptismo, vultu radiante, & imminente capiti coronâ es visus; multâ deinceps, & erga MARIAM amoris, & scriptorum, & vitæ, & mortis, gloriâ illustris: qui, cum aqua necessaria deesset iis, qui vinum habebant, nec eo indigebant, vinum illud in aquam mutasti: demonem ex eo, quem per duos & viginti annos obsederat, ejecisti: Regi Persarum, ad pedes tuos pretiosâ munera offerenti, respondisti: *Christus me docuit his non egere.* qui mortuum adolescentem veste tuâ induisti, pro eo orâsti, & ille resurgens à mortuis te amplexus est. Indue me tuis virtutibus, quæ me excitent ad vitam immortalem. Intercede pro

pro me apud JESUM, & MARIAM,
de quibus tam benè scripsisti, ut èt
ego ad eam, quæ feliciter morientes
manet, coronam, erudiam omnia
illa, quæ cogito, quæ dico, quæ
scribo, quæ facio. Amen.

Sancti Nereæ, & Achilleæ, fra-
tres, ob Christum, & persuasam
Domitillæ virginitatem, exules;
post verbera, equuleum, flammæ,
securi percussi.

S. Domitilla, nobilis virgo, unâ
cum cubiculo, incensa.

S. Pancrati, quatuordecim an-
norum puer, qui blandiente tyran-
no contempto, tenerum caput gla-
dio, Christi causâ, dedisti.

S. Dionysi, S. Pancrati patruæ.

S. Philippe, prædicatione, & li-
beratis energumenis clarissime.

S. Hippolyte, cujus feretrum, in
supplicatione circumlatum, pestem
extinxit.

S. Germane, doctrinâ, & zelo
sancto plene Episcopo.

S. Modoalde Episc. nobilitate,
liberalitate, rerum humanarum
contemptu, miraculis magne: quo
invocato, sacræ Deo Virgines, in
tuo cœnobio, intra dies triginta,
morte placidâ occubuere; ne quid
in hostili tumultu indecens pate-

rentur: è cujus reliquiis, furto sub-
latis, recens fluxit sanguis.

S. Dominice Calciatensis, MA-
RIÆ, & S. Jacobo, Hispaniarum
Apostolo, devotissime, peregrino-
rum advocate.

S. Richtrudis, sancto conjugē,
sanctâ prole, felix; quæ postea Vi-
dua, te, ac filias tuas, Christo de-
dicâsti, omniumque sanctum ex-
emplar virtutum, etiam post mor-
tem clara miraculis, obdormisti.

S. Philippe Argyrion, Siciliae
Apostole, dæmonum terror.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 320.

S. MARIA *Silvaducensis, cuius
ope mirabili, voto piè concepto, un-
decim nauta ducentos piratas vicere;
cùm nauta nullo ictu irritò jacularen-
tur, pirata verò nullum omninò nau-
tarum vulnerarent, semper incassum
jaculati. Doce me sic vincere ope tuâ,
ut illasus ledam hostem tuum
meum!*

13 Maji. 3 Idus Maji.

SANCTA MARIA ad Martyres, Re-
gina Martyrum, atque Sancto-
rum omnium; in cujus honorem,
B. Bonifacius Papa dicatum antea
falsis